# DE TUSSI CONVULSIVA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM SUMMIS...

Carlo Monselice

DE

# TUSSI CONVULSIVA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

SUMMIS MEDICINAE HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

IN ANTIQ. PATAV. SCIENT. UNIVERSITATE

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

MONSELICE CAROLUS

SALODIENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1847

A

GHERARDO MONSELICE

ED

OTTAVIA CONTESSA BECELLI

QUESTO TENUE LAVORO

DELLE PRIME MEDICHE FATICHE

IL FIGLIO RICONOSCENTE

Si qua meis fuerint, ut erunt, vitiosa libellis,
Excusata suo tempore, lector, habe.

Ovid. Eleg. I. lib. IV.

Inter ea mala, quae aliquando teneram ac lepidam amantissimorum parentum sobolem perturbant, graviterque afficiunt, non ultimum jure meritoque recensendum quod sub *tussis convulsivae* nomine cognoscitur. Morbus profecto magni momenti est, et forma singulari instructus, de cujus prima origine, de indole, ac natura, de causa proxima, deque opportuniori curandi methodo tot, tamque variae etiam nunc praestant sententiae, ut quicumque hujusmodi morbum prima vice pertractandum habeat anceps haerere, saepissime quid agendum, quidque asserendum nescire debeat.

Tussis convulsiva morbum sistit chronicum, epidemice saepius grassantem, infantes praecipue, rarius adultos infestantem, tussi feroci, rebelli, spasmodica, sonora, miseros suffocatione minitante, intermissiones celebrante, quemcumque paroxysmum vomitum fere semper excipiente. Varia quae apud omnes nationes a diversis auctoribus obtinuit nomina sequentia sunt: *tussis ferina delassans, suffocans,* Hippocratis; *pertussis*, Sydenhami, Huxhami, Culleni; *tussis convulsiva*,

Villisii et Burserii; *bronchitis epidemica*, secundum Marcum; *tussis firma* seu *stomachica*, Schoenlein: ab Italis vero *tosse canina* aut *asinina*; a Gallis *quinte* aut *coqueluche, bronchite convulsive* a Boisseau; ab Anglis *Kingcong*; a Germanis *Keuchhusten, Stickhusten, blaner Husten, Schaafhusten*, etc. nuncupatur.

Quibus equidem nominibus patet minime sedem aut conditionem morbi pathologicam indicari; et si eos excipias, qui quum morbi accessus quaque quinta hora supervenientes vidissent eum *quinte* dixerunt, omnes vel peculiarem illum clangosumque sonitum a quo tussis comitatur, vel vehementem admodum et suffocationem minitantem erumpendi modum, ideoque potissima peculiaris morbosae formae symptomata, ipsa denominatione comprehendere et denotare studuerunt.

Antiquissimis jam temporibus notum fuisse medicis morbum, quem nos nomine *tussis convulsivae* insignimus, scripta veterum abunde confirmant; sunt revera qui existimant tussim convulsivam Hippocrati ipsi notam fuisse, quum in nonnullis ejus operibus morbus apud infantes epidemicus, diu perdurans, et ex quo aegri permulti vel gibbosi fiebant, vel immatura nece corripiebantur, sub *tussis ferinae* nomine describatur.

Non minus Sydenhamus morbum, cujus essentialia symptomata cum phaenomenis pathognomonicis tussis convulsivae plurimum conveniunt, commemorat. Attamen si investigationibus accuratissimi Sprengel fides habenda, morbus de quo agimus ante saeculum deci-

mumquintum nostris hisce in regionibus numquam visus fuit, et eodem tempore ex Africa, Indiisque Orientalibus advena, per Galliam epidemice grassans a Mezerayo et Valeriola diligentius observatus; quorum prior historiam epidemiae, quae anno millesimo quadringentesimo decimoquarto in Gallia occurrit, diligenter retulit; alter vero tussim convulsivam epidemicam, quae ipsam Galliam anno millesimo quingentesimo septuagesimo invasit, exactius descripsit. Quod si diversorum medicorum opera perlegas, qui de hujusmodi morbo huc illuc regnanti disseruerunt, invenies, ferinam tussim ubicumque non modo in cultis Europae nostrae regionibus, verum etiam apud Indos, europaeosque novi mundi colonos adparuisse, nullumque fortasse post saeculum decimumquartum exstitisse morbum, qui tam frequenter quam tussis convulsiva grassaretur.

## *Nosographia*

Omnes in hoc unum conveniunt auctores, quod initio suo, et saepe longum per decursum pertussis neutiquam distingui possit ab angina aut bronchiorum rheumate, idest a bronchitide. Quum vero ordinem quemdam, et successionem in sua evolutione atque decursu fere semper morbus retineat, sententiae quorumdam clarissimorum virorum adnuentes, tria distinguimus stadia convulsivae tussis, videlicet: *stadium pri-*

226



*mum* seu *catarrhale; stadium alterum proprie convulsivum*; denique *stadium tertium* sic dictum *tussis subsequentis.*

Prima periodus adeo levibus stipatur symptomatibus catarrhali bus, ut medicus rarius ad aegrotulos vocetur, ideoque vel penitus negligitur, vel remediis domesticis plerumque incongruis oppugnatur. Nisi genius epidemicus observantem medicum attentum reddat, morbum tam pertinacem, et clandestine delitescentem ex hisce symptomatibus, catarrhum simplicem simulantibus, dignoscet: praeter tussiculam siccam sed levem, qua phaenomenon reliquis constantius, cum titillationis sensu, vel et leviori dolore pungente sub sterno junctam, infantes sub initio hujus morbi subito tristes, morosi fiunt, et delassati; adspectus languens observatur: accusant insuper aegri aliquam cephaleam obtusam frontalem, adest epiphora, nonnumquam photophobia, nec non sternutatio frequens, vocis raucedo, catarrhosa narium constrictio, caloris et frigoris sensus alternans, respiratio parumper difficilis, excreatus vix glutinosus et sero similis, somnus apud pueros inquietus, lamentatio frequens. Stadium hocce octo vel decem et ultra perdurat dies; gravioribus vero in casibus, et vehementioribus sub epidemiis tertia vel quarta absolvitur die.

Exinde modo manifestius, modo magis occulte secundum morbus ingreditur stadium. Typum fere regularem observans, fit tunc frequentior validiorque tus-

sis, adeoque saevit ferocitque, ut non modo pectus pulmonesque vehementer constringat, eorumque cohibeat dilatationem, verum etiam universum fere corpus convellat et quatiat. Sub tussis accessu aegroti per aliquot minuta tantum expirant, numquam aut saltem difficillime inspirant, ita ut suffocari fere periclitentur; et si demum inspirationi facultas concedatur, singularem illum, et acutum vel clangosum sonitum edunt, qui modo galli cantui, modo ferarum canumve ululatui, modo balatui pecudum, asinique ruditui comparatus fuit. Durantibus hisce insultibus, facies tumet, livet, oculi lacrimantes protrahuntur, labia livescunt, cavum narium muco copioso repletur, sudore prae anxietate manante tegitur vultus: pulsus intermittit, parvus debilis est tremensque, sanguis in facie intercipitur, ita ut ubi repetiti et diri succedant accessus, ex ore, naso, pulmonibus, auribus haemorrhagiae, sanguineaeque oculorum suffusiones habeantur. Sub fortioribus paroxysmis corpus universum convulsionibus quatitur, extremitates gelidae fiunt et intremiscunt, et apud tenellos pueros vel invita, vel inscie peracta urinarum alvique occurrit excretio, vomitusque materiae mucosae, viscidae, tenacis et ipsa ciborum in ventriculo contentorum ejectio plerumque scenam claudit.

Paroxysmo absoluto, perfecte liberum intervallum aliquando habetur, sub quo pueri ipsi cito ad priorem redeunt statum, morbique immemores consuetis ludibus, atque occupationibus indulgent, atque cibos po-

tusque summopere adpetunt. Haec vero intervalla minime statutam durationem habent, quum sub majori morbi ferocia omni horae quadrante vel dimidia hora ingruant accessus, alias sub mitiori aut decrescente morbo per trium vel quatuor vel plurium horarum spatium minime renoventur; quumque persaepe fortuiti influxus, cibus magna cum celeritate et aviditate sumptus, refrigerium, ira, terror, anxietas, risus, et ipse alterius aegri adspectus novum morbi insultum provocare valeant.

Novus vero tussis accessus praesentitur ab aegris quadam sensatione molesta, aut etiam titillationis ex ventriculo, vel ex abdomine ad pectus sursum ascendente, praeprimis autem anxietate quadam et constrictione in pectore atque trachea, qua pueri auxilium ab adstantibus petere coguntur, et cuncta quae prae manibus sunt citissime corripiunt, firmiterque tenent; et si lecto decumbant, statim insurgunt, antrorsum flectuntur, et caput sustinentes, artubusque superioribus strenue innixi aliquod sub violentia tussis sibi levamen non inutiliter quaerunt.

Pueri optima fortiorique praediti constitutione sub ipsa tussis vehementia parum persaepe cruciantur; in variis tamen epidemiis, ac pluribus aliis in casibus praesertim sub hujusce morbi intensiori evolutione infantes continua tristitia, ac moerore detinentur, magis magisque in dies pallent, languescunt, emaciantur, viribusque vitalibus consumptis, febri hectica pereunt. In

casu tamen faustiori symptomata huc usque commemorata successive recedunt, sequiturque post quatuor, octo, aut plures hebdomadas a morbi initio tertium stadium.

Hoc cognoscitur symptomatibus sensim sensimque decrescentibus; tussis vehementem suam, convulsivamque naturam amittit, peculiaris sonitus, et suffocationis periculum evanescere, vel minora fieri incipiunt, crescit desiderium ciborum, quin vomitus post pastum insequatur, increscunt vires, vitaeque vigor, emelioratur adspectus, infantes hilares, jucundi, garruli fiunt, morbusque, nisi recidivus fiet, fere debellatus dicendus est. Haec quoque periodus variae durationis est, quum ab octo diebus usque ad plures menses sese extendat.

### *Terminationes*

Morbus de quo agimus si mitibus symptomatibus stipetur, vel efficacioribus auxiliis quam celeriter tractetur, aut cessat sponte, aut in stadium tussis subsequentis transit. Saepe autem mox plures perdurat hebdomadas, mox per menses extensus in chronicum abiens decursum morbos atroces gignit cum exitu plerumque infausto.

Iis referuntur sanguinis effusiones in cerebro, earumque sequelae organicae cerebri ipsius alterationes, surditas, amaurosis, memoriae defectus, imbecillitas, epilepsia: abit interdum pertussis in phthisim pituito-

sam, exulceratam, in pneumoniam, in dyspnoeam chronicam, in hydropem, hydrocephalum acutum, vertebralis columnae incurvationes, rhachitidem, atrophiam, et tabem, ubi denique cum resolutione et colliquatione integra miserrimum et inexorabile irruit fatum.

Sed et paroxysmi vi et violentia adaucti varia non minus periculo plena mala inducunt, uti hernias, intestini recti, ipsiusque oculi pupillae prolapsus, ut Stoll vidit, rupturas vasorum majorum, haemorrhagias internas, nec non aneurismata, quorum exemplum suppeditat celeberrimus Morgagni. Raro tamen tussis convulsiva per se lethalis; et si mors subsequatur, haec apoplexiae, aut encephalitidi, aut pneumonitidi est adscribenda.

### *Necroscopia*

Sectiones pertussi defunctorum adeo diversarum mutationum referunt vestigia, ut vix possibile sit eas ab una eademque morbosa causa derivare, summaque incertitudo respectu morbi pathologici status merito locum habeat. Nonnulli reapse cadavera citissime, et facillime ad genitalia in primis putrescere conspexerunt: alii vasa cerebri magna sanguinis copia aliquando referta adnotarunt: ingentem quoque interdum muci quantitatem in aspera arteria, pulmones hic illic parvulis globulis durioribus obsitos, modo in hepate et liene obstructionis signa, et cistifelleam bile atri co-

loris plenam quamplures alii observarunt. Murray sanguinem solutum, variosque textus molliores et pallentes invenit. In quibusdam juxta alios bronchia ipsa inaequaliter expansa adparuerunt, vel etiam discissa. Morgagni, aliique cum ipso aerem in pulmonibus magna copia collectum, seri quantitatem in pericardio ultra normam, diaphragma sanguine suffusum, arterias phrenicas valde expansas, venasque sanguine impletas conspexerunt.

Broussais, aliorumque pathologorum investigationes demonstrarunt, mucosam bronchiorum membranam colore plus minusve rubro depictam, et crassitiem adauctam exhibere, folliculos mucosos prominere et intumescere, ultimosque bronchiorum ramos a muco variae densitatis congesto obstrui et occludi. Contra permulti autopsias cadaverum legitimae, primariaeque phlogoseos indicia numquam ostendisse adfirmant; et fortuitis morbi sequelis, et complicationibus vel cum bronchitide vel cum peripneumonia chronica quotquot occurrunt harum inflammationum signa tribuunt.

## *Aetiologia*

Quemadmodum ad caeteros morbos gignendos, ita ad tussim convulsivam generandam duplex illud requiritur causarum genus, *disponentium* nimirum seu *proegumenarum*, et *excitantium* seu *procatharticarum* ex generalibus pathologiae legibus cuilibet notum.

Dispositio itaque ex duplici fonte repetenda est, ex aetate nempe, atque ex peculiari organorum respirationis statu. Tussim convulsivam infantibus puerisque utriusque sexus magis quam juvenibus et virili aetate florentibus insidias struere procul dubio remanet. Major praeterea organorum respirationis irritabilitas ex modo superatis morbis pertussis evolutioni summopere valet. Quotidie enim videmus quod ii, qui morbillos, pulmonum inflammationem similiaque exantlarunt, morbo de quo sermo est prae caeteris obnoxii sunt.

Quod causas vero excitantes attinet tussis convulsivae magna occurrit agitanda quaestio. Sunt revera qui morbum tantummodo epidemicum, et qui contagiosum retineant, nec tandem desunt qui eum epidemicum simul et contagiosum esse declarent.

Vix ullus jam negare audebit quod tussis convulsiva ad epidemicos morbos minime referenda. Habentur revera exempla pertussis sporadicae, verum frequentissimae admodum ejus epidemiae. Harum evolutioni peculiaris quaedam aeris conditio favet, quae tamen qualis reapse esse debeat nondum satis determinatum, quum modo vere, modo autumno, et sub rigidiori hyeme, et sub aridiori calidiorique aestate morbum epidemice dominari ab omnibus fere medicis adnotatum fuerit.

Sed estne alia occasionalis causa contagium? Celebratissimi viri, ex. gr. Huxham, Cullen, Hufeland, Brera, Frank, Raimann, aliique pertussis contagium agnoscunt, atque argumenta, quae pro illis stant et cer-

tant, ad sequentia reducuntur: 1. quod tussis convulsiva una tantum vice per totum vitae tempus hominem invadat; 2. quod plures eodem tempore pueros in eadem familia vel domo adoriatur. Sed contra haec liceat respondere, quod individuorum numerus ipso morbo correptus illum epidemicum comprobare valet, quum epidemicos morbos omnes contagia esse hocce modo praedicaretur. Si vero consideremus cujusdam loci incolas iisdem atmosphaerae vicissitudinibus circumdari, omnesque malos influxus experiri, nemo negabit haudquaquam contagio opus esse, ut omnes eodem tempore aut successive aegrotent. Quod autem hujusmodi tussis una tantum vice ipsum hominem affligat, ideoque non amplius in eodem individuo renovetur; hoc multo jam ab hinc tempore dubium retinetur, multiplici experientia negatur, observatione haud probatur. Plurimi jam observarunt in praxi pueros pertussi autumni tempore vexatos et ad sanitatem perductos, iterum venturo vere in illam incidere. In hanc quoque opinionem quamplures conveniunt auctores, ut Stoll, Danz, Sprengel, Girtanner, Foderè, Billard aliique. Et revera quum morbi evolutio juxta ipsos ex generalis atmosphaerae qualitate peculiari dependeat, tempestatumque influxu, aegri non una tantum, sed duabus tribusque vicibus a pertussi correpti ad ipsorum sententiam probandam ab omnibus adducuntur. Praeterea quid aliud ad pertussis contagiositatem infirmandam addam? Foderè nihil, quod contagium directe aperteque confir-

maret in quatuor pertussis epidemiis se vidisse fatetur. In Billard versione quoque legimus ex observatione haud constare, quod aeger aliquis e loco infecto ad alterum prorsus longinquum incolumemque translatus morbum aliis communicaverit, lateque diffunderit.

Ex hisce itaque breviter expositis observationibus, prout opinor, evincitur tussim convulsivam inter contagiosos morbos minime esse recensendam.

*Causa proxima, morbique natura*

Altera vero, eaque gravissima occurrit quaestio de causa scilicet morbi proxima. Permultae de hac re prolatae fuerunt opiniones, et hypotheses ab auctoribus, quas omnes recensere nobis arduum foret, unde praecipuas tantum huc referre ac perpendere juvet.

Quum nonnulli ad ventriculi pondus, ad oris amaritudinem, ad vomitus sponte natos attenderent, tussim stomachalem declararunt, ejusque causas in saburris acribusque substantiis ventriculo contentis sitam esse ostenderunt. Hujusce autem sententiae fallaciam Burserius luculenter demonstravit. Quis enim nescit vomitum hoc in casu morbi esse symptoma?

Ad veritatem magis accedere primo intuitu videntur, qui inter bronchitidem qua adulti conflictantur, et pertussim infantes vexantem nullum dignoscunt discrimen, ideoque inflammatoriam pertussis essentiam, ejusque sedem in bronchiis esse statuunt. Symptomata

catarrhalia initio morbi observanda, pleuritides, peripneumoniae aliique inflammatorii morbi una cum tussi convulsiva epidemice intercurrentes, et manifesta bronchiorum inflammationis signa sub autopsiis pertussi peremptorum ea potissima sunt, quae ad sententiam confirmandam ab iis medicis in medium proferuntur. Ast plura alia eaque validissima argumenta eamdem tussis convulsivae ac bronchitidis causam proximam minime esse demonstrant. Et re quidem vera non omnibus in casibus, neque cunctis sub epidemiis catarrhalia symptomata initio morbi recurrunt, et ubi adsint, tunc objiciendum, ea quae contra catarrhum commendantur auxilia parvam in morbum de quo agimus virtutem habere. Caetera quoque pertussis symptomata reapse propria ingentem ejus a bronchitide differentiam ostendunt. In illa nempe fere semper tussis periodica est, longis intervallis intercepta, in quibus neque ullum incommodum, neque oppressio aut pectoris pondus occurrunt, raro febris accedit, et chronicus ac non bene determinatae durationis est totius morbi decursus. In bronchitide e contra respiratio celeris difficilisque, sensus ponderis oppressionisque in pectore, numquam vel per aliquot momenta intermittens tussis absque peculiari sonitu, febris et decursus manifeste acutus ordinaria sunt symptomata. Facillime porro refutantur ea, quae ex morborum una cum pertussi dominantium inflammatoria indole adducuntur. Nos jam monuimus tussim convulsivam in quocumque tempore

anni, sub quocumque tempestatum influxu regnare; hinc nil mirandum si hujusmodi tussis sub conditionibus interdum evolvatur, quae pleuritidis, peripneumoniae, aliorumque similium morborum favent evolutioni, ideoque cum inflammatoriis adfectionibus dominetur. Tandem quotquot in cadaveribus aegrorum pertussi jam laborantium adparent bronchiorum, pulmonumque vel etiam aliorum organorum inflammationis vestigia, haec facilem potius cum illis inflammatoriis adfectionibus complicationem, quam phlogisticam morbi de quo agimus essentiam indicare valent. Quamplures enim neoterici non modo absque praeconceptis opinionibus medicinam scribentes, verum et antiquiores medici in pertussis decursu et pleuritidem, et pulmonum inflammationem aliquando supervenire testantur.

Hisce statutis, quaenam ergo erit pertussis essentia? Omissis caeteris plurimis hypothesibus ad hujusce morbi intimam naturam illustrandam minus idoneis, in explicanda hac re adhuc abstrusa, opinionem clarissimi Hufeland adducam utpote illam, quae et plurimos habet ex recentioribus sectatores, et magis verisimilis, mihique adrideat.

Hufeland fere hisce verbis de natura tussis convulsivae auspicatur.

«Considero morbum hunc qua *nevrosim*, causam proximam ejus qua subtile proprium nervorum irritamentum. Eadem enim ratione, ac in aliis nevrosibus,

etiam hic certa praesagia antecedunt paroxysmum, qui facile in convulsiones, paralyses, et alia mala nervosa transit. Receptivitas morbose adaucta, manifeste in nervis pectoris et ventriculi residet, praecipue in pari octavo, quod ambo organa accedit, et in nervo phrenico. Irritamento his posito, ingens ista muci copia allicitur, eodem universalis pulmonum concussio et continua aeris propulsio inducitur. Nervum phrenicum simul affectum esse demonstrat in primis spasmodica, huic adfectioni propria, inspirationem sibilantem producens, contractio rimae glottidis quae ab hoc nervo ramulos quosdam recipit. Quo diutius itaque status hicce convulsivus perdurat, eo vehementius diaphragma ad motum antagonisticum invitatur, quod ex valida tussim saepius interrumpente inspiratione sonora palam fit. Sic certamen inter utramque vim, inspiratoriam nempe et exspiratoriam, exurgit; diaphragma irritatum cum musculis abdominalibus, vehementes has contractiones in processibus suis inferioribus peragere debet. Sic irritamentum ad summum adscendit, tandem etiam ad confinem cardiam, magna sensibilitate donatum propagatur, oritur nunc contractio ventriculi et vomitus, tamquam convulsio opposita, per quam inferior facies diaphragmatis ad vivaciorem adhuc reactionem incitatur, thorax autem dilatatur, irritamentum a pulmonibus derivatur et convulsio eorum solvitur. Vomitus ergo verum spasmi pulmonalis antagonismum sistit, licet ex eadem causa oriatur. Quod ille non prius

supervenit, aut potius statim ab initio, causa haec est, quoniam vasa bronchialia multo sensibiliora sunt, et facilius irritantur, quam nervi ventriculi, qui majorem spasmi gradum exposcunt».

## *Prognosis*

Si elapsis saeculis, quibus tussis convulsiva utpote advena in Europam ingressa est, tot millia infantum ex hocce morbo perierunt; nostris tamen hisce temporibus morbum summopere mitiorem evadere, fas est adfirmare. Constituit siquidem adhuc molestam et valde metuendam adfectionem ex eo quod secundaria incommoda ac mala persaepe relinquit, ipse tamen generatim loquendo raro per se ad mortem adducit.

Ceterum aetas, et constitutio corporis aegrorum, morbi symptomata, atque fortuitae complicationes, nec non ipsius epidemiae character totidem sunt momenta, quae ad prognosim in singulo casu statuendam consideranda veniunt. Ita quo tenerior debiliorque infans, eo magis vita periclitatur; pariter ac ubi thorax deformitate aliqua, pulmonesque debilitate ex ortu laborent; lactantes quoque puelli, iique, in quibus dentium evolutio, morbilli, scarlattina, dysenteria, et praecipue bronchiorum et pulmonum inflammatio cum tussi convulsiva junguntur, utplurimum occumbunt. Quoad symptomata notandum est quod ex vomitu sub tussi paroxysmo exorto morbus mitescere videtur; haemor-

rhagiae dummodo parvae sint raro in infantibus puellisque nocent, in juvenibus valde periculosa haemophthisis. Ubi nullus vomitus nec muci excretio, ubi magis sibilosus et altus sub tussi clangor, ibi major morbi vehementia. Ex observationibus a quampluribus, praesertim ab Hufeland institutis constat pueros illos facilius morbum superare, qui chronicis exanthematibus cruciantur. Ad epidemiae denique characterem rationem habere juvat, quum tussis convulsiva epidemice diffusa modo benigna, modo vero maligna, pertinax, maximeque lethalis observetur.

## *Therapia*

Momentis causalibus morbi tum praedisponentibus tum occasionalibus jam prius amotis, vel si ipsa amoveri nequeant, in efficacia sua pro viribus debellatis, ad curam indirectam deveniat medicus oportet. Si mentem vertimus ad illa, quae celebres nobis tradiderunt auctores, quamvis diversissimas et inter se oppositas theorias profiterentur circa naturam pertussis, facile cognoscemus, illos experientia edoctos, utpote medelam magis congruam antiphlogisticam methodum ut plurimum ante tulisse. Haec tamen varie juxta diversa stadia instituenda.

Stadio primo morbi simplicis eadem remedia opponantur ac catarrho inflammatorio, nunc mitiora nunc fortiora prouti nimirum morbi symptomata urgeant, et

290



febris simul decurrat. Hinc si nec symptomata catarrhosa, nec febris incedant, sufficiunt medicamina leniter diaphoretica, emollientia, mucilaginosa, infusa et decocta althaeae, verbasci, specierum pectoralium, praeterea sambucina, tilia, tartarus stibiatus aut hypecacuana in refracta dosi. Quum verum pertussis ad gradum altiorem evecta sit, characterem sic dictum hypersthenicum induat, febris et topicae adfectiones simul decurrant, pro aegri aetate et constitutione sanguinis depletiones modo locales modo universales instituendae. Laudantur quoque cathartica leniora, uti tamarindus, manna, sales neutri, calomel, jalappa etc., tunc praecipue si status gastricus aut verminosus adesset.

Si nihilominus, incassum tentatis supra recensitis remediis, tussis convulsiva secundum paullatim ingressa sit stadium, tunc ceu morbus spasticus tractetur oportet. Magna est remediorum caterva in hocce stadio decantatorum, quae inter assam foetidam quamplurimi commendant; alii hyosciami, atropae belladonnae, et opii eximiam virtutem decantant. Spectatissimus professor Corneliani in suo clinico formulario contra hujusmodi morbum oxydum bismuthi, et acetatem morphinae cum extracto belladonnae et chamomillae nuptos proponit, ipseque vaporum aquae cohobatae pruni lauri cerasi per saxum calefactum evolutorum inspirationem perutilem saepius et saepius expertus est. Digitalem purpuream, dulcamaram, extractum nucis vomicae, nicotianum tabacum, lactucam virosam, nec non

cicutam nonnulli proponunt. Celeberrimus Hufeland flores zinci cum saccharo, aut in connubio cum hypecacuana, opio, aut sulphure aurato celebrat; alii spiritum corni cervi succinati, oleum animale foetidum, spiritum salis ammoniaci; alii castoreum, camphoram, et moschum laudibus extollunt.

Haud minor est remediorum externorum contra tussim convulsivam laudatorum cohors. Pertinent huc: derivantia varia, epispastica, vesicantia, inunctiones cantharidum, aut cum unguento nervino ad columnam vertebralem atque abdomen, cum oleo cajeput ad collum pectusque, cum mixtura ex solutione tartari emetici, et tinctura cantharidum composita ad stomachi regionem, cumque allii succo ad scrubiculum cordis. Huc quoque spectant balnea aromatica, clysmata antispasmodica, nutrientia, irritantia, quae maximam curae juxta nonnullos instituendae partem efformant. Cum hac vero diversa medendi methodo simul jungendum est congruum regimen diaeteticum, quod etiam primarium fere occupat locum.

Stadium tamen ultimum morbi vix eget remediis pharmaceuticis, therapiaque peculiari; sed omne medici conamen eo dirigendum erit, ne morbus vix exantlatus recidivam celebret.

## THESES DEFENDENDAE

I.

In medicina theoriam a praxi sejungere impossibile.

II.

Pulmonalis transpirationis functio cutaneae transpirationis functioni aequalis.

III.

Calor sub statu pathologico numquam adeo vehemens, ut aegrotantis sensationi respondeat.

IV.

Tussim convulsivam bronchitidem esse nego.

V.

Sopor post delirium malum omen, bonum delirium post soporem.

VI.

Virus syphiliticum sub madorrhoea secretum differt ab illo ex ulceribus secreto.

VII.

In menstruis provocandis nuptiae saepius praevalent medicamentis.

VIII.

In damnum potius commendant medici nonnulli excessum caloris in cura balneorum et lutorum.

IX.

Non semper in veneficiis necroscopia indubia signa praebet.